BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

17

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

C. 34/a. 1. 14

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

Enchiridion SIVE MANVALE SACERDOTVM

Permodum Examinis Ordinandorum, & Promouendorum ad curam animarum.

Complectens mira breuitate omnes fere Casus conscientiæ, & totam Sacramentorum, & Virtutum Theologicarum, & Moralium doctrinam,

Auctore Cosmo Philiarcho PISTORIENSI.



Florentiæ apud Iuntas
M. D. LXXXII.

Cum licentia Superiorum, & Priuilegio.



BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTO Filio Cosmo Philiarcho Clerico Pistoriensi, Salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus, tu librum quendam latinum, qui inscribitur Enchiridion, seu Manuale Sacerdotum, per modum examinis ordinandorum, & ad curam animarum promouendorũ composueris, illumq; pro communi, & publica omnium vtilitate imprimi facere cœperis, seu intẽdas: & licet pro impressione eiusdem libri te iuuerimus, tamen quia in aliorum librorum impressione multum impendisti, & in hoc etiam libro impendere debes, æquum sit, vt tibi tuæque indemnitati aliqua ratione opportune consulamus. Iccirco tibi in præmissis prouidere, teq; specialis fauore gratiæ prosequi volentes. Motu proprio non ad tuam, vel alicuius pro te Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate, & certa scientia nostris. Tibi ne Enchiridion seu Manuale præfatum, per Decem annos à quocunque, seu quibuscunque alijs, sine tui, vel tuorum hæredum, & successorum licentia, imprimi, aut ab ipsis, vel

alijs vendi, seu in eorum Apothecis, siue alias venale, præterquam a te (vt præfertur) impressum vel imprimendum, teneri possit, Apostolica auctoritate per præsentes concedimus, & indulgemus. Inhibentes omnibus, & singulis Christi fidelibus, tam in Italia quam extra eam existentibus, præsertim Bibliyopolis & librorum impressoribus sub excommunicationis latę sententię; interris vero sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mediate vel immediate subiectis, etiã Quingentorum Ducatorum auri, Camerę Apostolicæ applicandorũ, & insuper amissionis librorum pœnis: toties ipso facto, & absq; alia declaratione incurrendis, quoties contrauentum fuerit, ne intra Decem Annos prædictos Enchiridion seu Manuale prædictum, per te seu de tuo ordine imprimendum, absque expressa tui, uel hæredum, & successorum præfatorum licentia, dictis Decem Annis durantibus imprimere, seu ab ipsis vel alijs præterquam a te vel hęredibus & successoribus eisdem impressum, & imprimendum vendere, seu venale habere, vel proponere, aut illud vt supra habere audeant, vel præsumant. Mandantes Vniuersis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis; eorumque Vicarijs in spiritualibus generalibus, & in statu temporali S. R. E. etiam Legatis, Vicelegatis Sedis Apostolicæ, ac ipsius status Gubernatoribus vt quoties pro parte tua fuerint

BIBLIOTECA COMUNALE DI PAVIA

rint requisiti, vel eorum aliquis fuerit requisitus; Tibi ac hęredibus & successoribus prædictis, efficacis defensionis præsidio assistentes, præmissa ad omnem requisitionem tuam, contra Inobedientes & Rebelles per Censuras Ecclesiasticas, etiam illas sæpius aggrauando, & per alia iuris remedia auctoritate nostra exequantur. inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus; Priuilegijs quoque indultis & litteris Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, etiam motu simili, etiam consistorialiter, vel alias quomodolibet in contrarium concessis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse pari motu derogamus. Contrarijs quibuscunque. Et insuper quia difficile admodum esset easdem præsentes ad quemlibet locum deferri, Volumus, & eadem Apostolica auctoritate, Decernimus ipsarum præsentium transumptis præfatis vel exemplis etiam in ipso Enchiridion seu Manuali impressis, plenam & eandem prorsus fidem vbique tam in iudicio quã extra

haberi, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die vigeſima octaua Octobris, M. D. LXXXII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Alex. Peregrinus.

H. Fuſcus.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA